

/ Dilecte fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem  
 Veteris in te amoris nostri recentem significationem Abbatia  
 Sancti Benedicti, quae est in civitate ista Capuana, tibi a nobis  
 collata gratam dilectioni tuae accidisse nobis quoque gratum est  
 5 et iudundum, tuamque in eo pietatem et grati animi affectum in li-  
 teris tuis expressum libenter recognovimus, quamquam nos tam pro-  
 pense id egimus, et tanto cum voluptatis sensu, ut eo nomine gra-  
 tias à te nobis agi nihil necesse fuerit, et quidquid id tantum est  
 10 meritis certe tuis exiguum est. Praeter illud autem, quod benefi-  
 cium hoc praeclare in te collatum est, quem non terrena commoda,  
 sed Dei gloriam ubique, et in hoc praesertim genere quaerere plane  
 scimus: illud etiam non dubitamus hanc nostram collationem illi  
 ecclesiae et canonicis eiusdem valde salutarem fore, ita ut te prae-  
 side et moderatore, et neglectus, ut scribis, Dei cultus restitua-  
 15 tur, et labefactata canonicorum disciplina reformetur; idque te ul-  
 tro facturum, et nostro etiam hortatu impensius facturum confidi-  
 mus. Quod reliquum est, fili, ora pro nobis ad Dominum et Patrem  
 misericordiarum, ut infirmitatem nostram in tanto onere perferendo,  
 sua coelesti gratia corroboret, cuius divinae gratiae copiam tibi  
 20 vicissim in tuis pastoralibus curis et laboribus precamur, ut nos-  
 tram paternam et Apostolicam benedictionem tibi amanter impertimur.  
 Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die nona Maii  
 1603. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Silvius Antonianus Cardinalis.

25 [ Volumen iurium, f.6; Summar. add., p.63, avec cette référence:

[Ex suo originali in Archivio secreto Vaticano asservato.]  
 Concordat. etc. Romae hac die 5 mensis octobris 1711. Thomas a Jolis,  
 eiusdem ecclesiae cantor et protonotarius apostolicus.

\* Sena. add. : 3 Maii